

usque ad Tanam ubi sunt xv domus Christianorum, scilicet Nestorianorum, qui sunt scismatici et heretici. Et dum sic essent istic sibi invenerunt hospicium, et hospitati sunt in domo cujusdam illorum. Dum autem sic manerent illic, orta fuit quædam lis inter virum illius domus et ejus uxorem quam ille sero ipse fortiter verberavit. Dum vero sic esset verberata et quæsta fuit coram lo cadi¹ uno episcopo in lingua sua. Quam mulierem ipse cadi interrogavit si probare posset quæ dicebat. Tunc autem ipsa respondit dicens se bene probare posse. Nam quatuor Raban Franchi scilicet quatuor viri religiosi in lingua nostra, illic erant in domo cum michi hoc fecit: hos interrogate, qui vobis dicent veritatem. Ipsa autem muliere sic loquente, unus de Alexandria ibi præsens rogavit Cadi ut mitteret pro eis quos dicebat homines maxime scientiæ et scripturas bene scire. Ideoque dicebat bonum esse de fide disputare cum eis. Quod audiens sic ipse Cadi misit pro eis, qui dum sic ante eum adducti fuissent isti quatuor fratres, scilicet frater Thomas de Tolentino de Marchia Anthonitana, frater Jacobus de Padua, frater Demetrius² qui erat frater laycus sciens linguas, et frater Petrus de Senis domi ut res custodiret,³ ad ipsum Cadi perrexerunt. Dum sic essent coram lo Cadi,⁴ ipse cum ipsis disputare cœpit de fide nostra. Cum autem illi infideles sic disputarent cum istis, dicebant Christum solum purum hominem et non Deum. Quod cum sic dixissent, ille frater Thomas Christum esse unum Deum et hominem probavit rationibus, et exemplis in tantum eos confudit Sarracenos quod penitus ipsi contrarium dicere non volebant.⁵

7. *Idem.*

Tunc videns ille Cadi se sic esse confusum ab eis, coram toto populo clamare cœpit voce magna dicens: Et tu quid dicis de Machometo? Quid dicis de Machometo? Nunc autem istam consuetudinem habent Sarraceni, qui si se verbis defendere non possunt se ensibus tuentur et pugnis. Dum autem eum interrogasset sic Cadi,⁶ responderunt fratres dicentes, si tibi probavimus rationibus et exemplis Christum verum Deum et hominem esse qui legem dedit in terra, et Machometus exinde venit qui legem contrariam isti fuit; si sapiens es, quid sit de Deo⁷ tu optime scire potes. Tunc ille cadi et alii Sarraceni alta voce dicentes clamabant: Tu quid in tantum⁷ dicis de Machometo? Tunc frater Thomas respondit: Vos tantum dicere poteritis de eo quid dico, quod tacere hoc nimium verecundabor unum ex quo me vultis respondere vobis.⁸ Respondeo vobis et dico quod Machometus filius perditionis est, et est cum dyabulo patre ejus positus in inferno; non solum ipse sed et omnes qui hanc legem tenent et observant. Cum ipsa sit pestifera nequam et falsa

¹ *Ut. also has* Locadi; *the others* Cadi or Kadi, id est episcopo. *Ven.* mane conquesta est cadi, &c.

² *Boll.* Zorzanus.

³ *This should be as is noted in the margin,* dimisso fratre Petro domi, etc. It is thus in *Far.*, *Hak.* and *Mus.* *Ven.* has ut rex custodiret, a slip.

⁴ Better with these last words omitted from *ad ipsum* as in *Ven.*

⁵ *Hak.* omits from nunc autem.

⁶ *Should be* de eo, as in the other MSS.

⁷ *Ven.* and *the others* have iterum.

⁸ *Mus.* has Tu inscius quid dico de eo videre potes? tamen ex quo vultis quod plane vobis respondeo, dico, etc. *Hak.* Vos omnes videre potestis quod dico de eo, etc. The others have nearly the same as above.